

corum numerum queris, contentus sum ut admisso tantummodo  
 presule Equilino germano tuo patreque meo, ceteri excludantur.  
 Admitterem et alterum germanum futurum compatrem meum, si  
 quicquam illi foret negotii cum nugis huiusmodi. Ad hec si non  
 pro voto, si ad rem minus pertinenter responsum est, parce precor  
 torpori meo atque inertie, parce imbecilitati, demum occupationibus  
 meis, quia cum ad Titulivium necnon Epistolas Seneca nunc im-  
 170 miserim animum, egre patior ab ipsis divelli, ordinemque adhibitum  
 interrumpi. Vale igitur, mi Johannes carissime. Tervisii, 1374.  
 8 kalendas februarii.

## 20.

*Eiusdem ad Episcopum Equilinum.*<sup>a)</sup>

[Vat. c. 114 v.]

Incusas me litteris tuis, amantissime presul, quod piger ad ca-  
 lamum hactenus fuerim erga te. Hoc facis iure tuo meritoque. Quid  
 ni? Piger sum fateor, sicut et ceteri mortales, si verum profiteri  
 velimus, nisi tu forte celeres putas, qui ad questum aliasque fri-  
 volas curas anxii et importuni videntur. Ad verum rectumque,  
 crede michi, omnes pigerrimi sumus. Quando tamen sic se habet  
 publicus error, accipe erroris mei excusationes non iniustas, que  
 si tibi sufficient, habunde erit, si minus, in hoc michi proficient  
 10 saltem, quod non in totum michi inutilis videbor. Scripsi enim ab  
 ipso principio cum ad has oras accessi, tuque ad sedem tuam

<sup>163</sup> queris] *Vat.* que... <sup>164</sup> Equilino] *om.* *Ma*<sup>1</sup> <sup>166</sup> *M. L.* quicquid  
<sup>167</sup> pro voto] *M. L.* provoco si] *Vi.* sed. *M. L.* pertinentem <sup>168</sup> *M. L.*  
 corpori <sup>169</sup> *Vat. M. L.* Titulivium necnon] *Ma*<sup>1</sup> et <sup>169.70</sup> *Vi. M. L.*  
 miserim <sup>170</sup> animum] *Ma*<sup>1</sup> aggiunge de presenti, *om.* « nunc » <sup>171</sup> caris-  
 sime] *Ma*<sup>1</sup> Paulus de Bernardo quidquid est tuus 1374] *Ma*<sup>1</sup> *Vi. M. om.*  
<sup>172</sup> *Vi. M.* Octobris. *Tutta la datazione manca nel L.*

<sup>a)</sup> Cfr. a pagg. 76, 83-4, 121-2.